203

Admodum R.de P.re

Binas accepi literas tuas mi Athanasi 3. nempè, et X. cadē=tis mensis Xmbris datas, easq pari gaudio, et extimatione: Pri=mis literis inscriptionem ab Arabis explicari promissam, in=terpetrari ab eis, non potuisse refers, secundis verò facili conatu, et unius horę spatio P. V. assecutum fuisse, quod Arabes nullo modo potuere, de quo summopere gratulor; expertoq tuę doc=trinę, magneq eruditionis foetum. Greca, quę redolet edictum, sive bannum, super conuentione Sacerdotum Idolorum, et pre=statione eis debita est omninò conformis explicationi alterius interpetris, qui aliquot dies antè quam literas tuas accepis=sem eā vidit, dum hac de re casù sermonem cū eo habu=issem; differentia solum est in epigraphe Enrici Calà, quam hic diversimodè intellexit, mittoq interpetrationem eius, ut P. V. iterum inspiciat, et consideret; puto .n. quod in aliquo consistat equiuoco, et verborum sensu, et proprietate, quę ad plura possit accomodari. Illud autem testari possum, quod inter antiqua familię monumenta reperi, et adhac satis

conforme, quod Civitas Consentina Ducatus Calabriæ Metropolis in publico testimonio constituta notum facit, quod cum maximis vexaretur discordijs Civium, belloq. intestino Ill.mus Enricus Calà B. Joannis frater sua præsentia, et authoritate illud sedavit, et in pace tranquilla inposterum remansit (verba sunt instrumenti) Unde beneficij magnitudine moti statuā metallicam erigere deliberaverunt prędicto Enrico, elegitq. duos ex patritijs Civitatis eiusdem, ut se conferrent ad D. Imperatorem Enricum 6. pro licentia obtinenda, inscriptio itaq. supponit illam fuisse obtentam, erectamq. statuam, de qua in d.ta inscriptione mentio est. Eam itaq. iterum mitto, rogoq. S.V. ut huiusmodi habita notitia, et epigraphe revisa dignetur verum, et germanum sensum illius referre; excusatumq. habeat si molestus sum; nam ad omnia tua mandata paratus semper ero, tuiq. semper observantissimus, prout amantissimus; festosq. precor S.V. dies nativitatis D.ni salutares, et lætos, cum anni novi felici augurio, et multorum principio gaudiorum. Neap. 23. Xmbris 1661.

Admodũ Ill.ris D. V.ræ

Servus devotissimus

Don Carolus Calà
Dux Diani

Don Carlo Calà Duca Diani